

§^o *Supre-
mus Do-
minus.*

Ratio enim omnium rerum existentiae est Vo-
luntas Dei (§. 8.). Omnes itaque res existentes a
Deo dependent *quoad existentiam*. Quemadmodum
vero existere inceperunt per voluntatem Dei (§. 8.),
ita etiam, quoniam sunt contingentes (§. 1.), adeo-
que vi sua propria, quod attributum solius Entis
Necessarii est, existere nequeunt, si porro existunt;
existant per voluntatem Dei necesse est, Dependent
igitur a Deo *quoad durationem*. Omnia denique,
quae Deus creavit & conservat (per demonst.), crea-
vit ad certum finem (§. 20.), ad quem illa etiam
omnia dirigit, prouti placet (§. 22. 2.). Dependent
itaque a Deo *quoad modum existentiae*. Jam vero,
qui omnibus rebus dedit existentiam, qui omnia de-
nique illa conservat, ita, ut cessante conservatione
in nihilum recidant, qui porro omnia dirigit ad suos
fines prouti vult, (per demonstrata); ille utique ha-
bet facultatem moralem disponendi de ipsa rei sub-
stantia tam externe quam interne, ejusque usu &
fructu (quod per se patet). Ergo Deo competit
Dominium in omnes creaturas (§. 23.), & quidem
tam externum quam internum (§. 24.).

Patet quam evidentissime ex hisce, summum & su-
preum Dei in omnia Dominium, cui simile non in-
venitur, nec inveniri potest. Infra etiam videbimus
differentiam maximam, quae intercedit dominium inter
Dei, & illud, quod Deus homini primævo concessit.
Habebat nimirum, imo non aliud habere poterat, Do-
minium tantummodo a Deo concessum in creaturas
externum, non vero internum, ad quod pertinet Crea-
tio ex nihilo, & annihilatio rei creatæ, quæ potentiam
hominis plane transcendit. Sed de hoc infra.

§. 26.